

DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICO-CHIRYRGICO-OBSTETRICIA
QVA

OBSTETRICVM 1745, 86
IMPERITIA ET ERRORES
CASV QVODAM MAXIME LVCTVOSO
DEMONSTRANTVR.

QVAM

NVMINE DIVINO FUCE AC AVSPICE

PRÆDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
DN. JOANNE JVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBL. ORDIN. PRACTICO ORPHANOTROPHII ET
PAEDAGOGII FELICISSIMO.

PATRONO AC PRÆCEPTORE ÆTERNVM DEVENERANDO
PRO LICENTIA & GRADV DOCTORIS

AC OMNIBVS PRIVILEGIIS ET HONORIEBUS IN MEDICINA,
LEGITIME OBTINENDIS

AD D. DECEMBER. A. O. S. MDCCXLV.

H. L. Q. C.

PUBLICO ET PLACIDO ERUDITORVM EXAMINI
SUBMITTIT

PHILIPPVS ADOLPHVS SEELBACH
RODGENA - SIGENA - NASSAVVS.

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

DEO TER OPTIMO MAXIMO
SUMMO MEDICO ET ORSTETRICANDI ARTIFICI,
SERENISSIMIS ET CLEMENTISSIMIS
PATERIAE PARENTIBVS
DOMINIS MEIS INDVLGENTISSLIMIS,

V T E T

ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSLIMIS
DOCTISSLIMIS ATQVE EXPERIENTISSLIMIS VIRIS
OMNI OBSERVANTIAE CVLTV AD VLTIMVM VITAE
HALITVM MIHI DEVENERANDIS,
QVORVM FIDELI DOCTRINA ATQVE
INSTITUTIS VT FRVIQUE
FORTVNIA MIHI CONCESSIT.

NEC NON

CARISSLIMIS ET DVLCISSLIMIS MEIS
PARENTIBVS

QVIEVS, SI A DEO DISCESSERO, VITAM MEAM, PATRIMONIVM,
SALVTEM OMNIAQUE MEA REFERO ACCEPTA
DENIQVE

FAVTORIBVS ATQVE AMICIS OMNIBVS
OMNI HONORIS ET AMORIS CVLTV

PROSEQVENDIS

QVALECVNQUE HOC GRATISSLIMI MEI ANIME
MONUMENTVM PRO TOT TANTISQUE BENEFICIIS
IN ME IMMERENTEM HVC VSQUE COLLOCATIS
OMNI PIETATE, AMORE, REVERENTIA ET ANIMI SANCTITATE
DEVOTISSIME CONSECRATVM VVET.

AVCTOR



CASVS.



Airona, summo loco nata, illibata ante contractum matrimonium sanitatis, quum primum gravida esset, octavo pregnationis mense oblectamenti causa pilento vebi imperabat. Quo moderamine rotarum cursus institutus fuerit, non adeo constat: saltim vebementiam ubique exclusam merito presumere licet. Num venesectionem unquam, speciatim vero post conceptionem, instituendam curaverit, itidem ignotum est. Interim praepedimentum huic iteri, recreationis causa instituto, objiciebant subiti dolores, qui vebendo in abdomine sentiebantur, & reditum festinante exposcabant. Redux in palatium suum Matrona obstetricem, que eximiae dexteritatis & peritiae credebatur, ad se convocandam jubebat: cumque de legitimis ad partum motibus, das es rechter Ernst wäre, obstetrica non dubitaret, splendidus ad id negotium adparatus instruebatur omnis, nihilque deficiebat, quam ut regimen sapiens duclui naturae accommodatum, accederet. Verum enim vero tantum hic absuit obstetricis praedicata peritia, ut potius imperite admodum & perverse omnia peregerit. Primum enim ante, quam mem-

CASVS

brane rupte essent, blandos & sapientes naturae motus adhortationibus suis, ut prava fert plurium consuetudo, maximopere turbabat, atque ad collaborandum Matronam incitando viribus premature exhauiendis ansam praebebat. Deinde, effulis demum aquis, enormem istum errorem commitebat, ut legitimum ac naturalem fetus situm declararet, cumque optatus exclusionis successus per longum tempus frustra exspectaretur, in doloribus deficiens remora illius causam unice ponebat, ideoque ad eos excitandos pellentia propinabat. Ast omnia in cassum: longe enim alia, exclusionis fetus non subsecuta, fuit ratio, videlicet situs adeo incongruens, ut exitum nullo modo concederet. Honoratores que aderant feminine, & id obstaculum ominabantur, enixe quidem rogabant, ut dexterimus quidam operator in auxilium jam admitteretur: sed Matronae verecundia & obstetricis temeritas salutare hoc consilium jam, uti antea, diu recusabant, donec tandem tertio die extremum periculum pudorem excimendo operatori accessionem concederet. Qui quam primum explorando manum admovebat, cubitus fetus premovere significabat. Interea res ad incitas redierat, fetus instrumentis extrahebatur, sub qua extractione, nescio quo casu, vagina vulnus infictum fuisse, dicitur. Matrona autem ipsa tertio post mense febre bectica e vita discedebat.

§. I.

§. I.

Cum dissertatione hac inaugurali breviter ostendere decreverim, quam gravissimos subinde errores committant obstetrices: vix quidem operæ pretium esse duco, exquisitiori artis obstetriciæ *definitioni* hoc loco immorari; quod neminem adeo insciū putem, quin intelligat, quid hoc nomine significetur. Ne vero in leges bonæ methodi peccasse viderer, si hanc definitionem silentio penitus præterirem, præcipue cum, TVLLIO teste, omnis, quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, a *definitione* proficiisci debeat, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur *Officior. cap. II. libr. I.* non alienum erit, paucis diceret, quod *obstetricandi* vocabulo intellectum velim eam artem, quæ gravidæ parturienti ac fœtui, uteri claustris concluso indeque expellendo, per certas ἔγχειας ita opem fert, ut in lumen prodire queat.

§. II.

At vero cum logica præcepta porro postulant, ut nec illæ notiones, quæ definitionem quandam, tanquam partes, ingrediuntur, inexplicatae atque intactæ omissantur, mearum quoque partium erit, ulterius definitum dare, quid gravidæ *parturientis* voce & *fœtus* nomine veniat denotandum. Licet enim hæ notiones usque adeo pervulgatae, ut nec lippis & tonsoribus absconditæ sint: criticis tamen Logicis ne scandalo sim, id, quod per se jam satis explicitum est, superflue quasi attingam: scilicet *parturientem* seminam esse illam, quæ in fœtu, matrice sua variis motibus extrudendo sicque in lucem edendo occupata

6 *Dissert. inaug. medico-chirurgico-obstetricia*

est; *fætum* autem vocari illum homunculum, qui in *utero* conceptus, formatus & nutritus commoratur, usque dum partu qualicunque a matre nascatur.

§. III.

Actus hic, quo mulier, *utero* gerens, prolem enititur, *partus* nomine venit, & in his feliciter atque ex voto succedit, in aliis vero compluribus difficultatibus maximisque periculis stipatus ita improspere cedr, ut tam enitens *femina*, quam pariendus *fœtus*, haud raro vel vitæ jacturam, vel certe sanitatis detrimenta faciant, nisi utrisque a peritissimo atque exercitatissimo artifice obstetricantes manus tempestive admoveantur. Quam ob causam mearum hic partium erit, ut primum diversas illas pariendi species sollicitius perscruter, quibus *fœtus* *utero* emergit, quæque apud rei obstetriciæ scriptores relatae leguntur.

§. IV.

Prius vero, quam ad ipsas differentes pariendi species progrediar explicandas, non inutile erit, istam *partus* definitionem expendere, quam DIONIS libro illo, qui inscribitur *Traité general des accouchemens* libr. III. cap. I. p. m. 195. tradidit; ubi Auctor ita scribit: *Nous entendons par accouchement la sortie d'un enfant hors la matrice d'une femme dans son terme ordinaire.*

§. V.

Sane permulta, nec ea levia, mihi obstant, quo minus Auctori in hac sententia adstipuler, maxime quia hæc voces, *la sortie d'un enfant hors la matrice*, activitatem *fœtus* innuunt, quasi propriis sui viribus &

& potentia, sine ullo matris parientis auxilio, sibi viam pandere & muliebri arvo sua sponte exire in lucem possit; pluribus enim argumentis & rerum testimonii demonstrare facile esset, tantum abesse, ut fetus in partu sibi metipsi exitum paret, ut potius revera passio se gerat, & uteri motibus, convenientissimo ordine sibi succendentibus, sese indidem expelli patiatur. Neque difficile foret, testimoniū numerum, qui mecum sentiunt, convocare; sed veritatis vis per se jam fatis constat, ut nihil Auctorum subsidii requirere videatur. Interim liceat mihi unicum tantum testem allegare: scilicet Excellentiss. Dom. Doct. FRIDIVM, Praeceptorem, Hospitem quondam ac Patronum, omni pietatis & observantiae cultu attatem devenerandum, quippe qui in *annotat.* ad DIONIS libr. 2. cap. 17. p. m. 189. idem contendit.

§. VI.

At vero si quispiam quæreret, unde nam pariendo tempore tam vehementes uteri motus, compotissimo ordine, convenienti gradu & proportione, alternisque vicibus, succedentes, venirent, & quo parto coorti per matricis fabricam membranoso-carnearum peragerentur? ille profecto campum dicendiam amplissimum mihi aperiret, præcipue si varias quoque & lepidas diversorum Auctorum de ea re sententias, simul exutere vellem. Sufficiet autem generatim tantum innuere, quod plures causam in ipsum fœtum transferre non dubitant, utpote qui ingrato quadam seu injucando, nescio quo, sensu, ipso hoc temporis punto percitus, varias agitationes seu motus edere potissimumque in uteri fundum calcando exse-

8 *Dissert. inaug. medico-chirurgico-obstetricia*

exserere confidenter dicitur. Interea inter eosdem non convenit, quid causæ sit, quamobrem fœtui, utero inclusu, hoc in primis mense & momento, tanta molestia & injuria accedit, ut se tam inquiete tamque violenter gerat? Liceat mihi ex tot discrepantibus inter se sententiis, eam, quæ Excellentissimi BOER-HAVII est, huc afferre. Clarissimus hic Vir sibi habet persuasum, utero ejusmodi convellentes motus, ultimo gestationis tempore, a fœtu arcessi eo, quod ille: (capite orificio interiori uteri jam admoto): fæcum alvinarum & lotii, quæ per tot menses in vesica & intestinis collecta & coacervata retinuisset, mole pondere & acrimonia stimulerunt; unde fœtus multum molestiæ & doloris capiat, quo proinde excitatus, musculosas sui partes agitare siccum utero, cui inclusus hucusque inhaesit, vim inferre, matri autem tenesimum creare & hac ratione violentissimos motus, cum in abdominis muscularis, tum præcipue in utero, ei conciliare soleat.

§. VII.

Sed salva tanti incomparabilis Viri auctoritate dissimulare non possum, quod si eam ætiologiam ad lapidem Lydium revocem, permulta in ea deprehendam, quæ probati valoris minime sint habenda. Nam tanta acrimonia fæcum & lotii, quantam Viro huic doctissimo supponere placuit, nemo unquam in tam tenello fœtus corpusculo demonstrare poterit. Præter ea jure merito querere licet, quam ob rem hæsordes, in vesica & intestinorum sentina stabulantes, ultimis demum gestationis diebus tantam irritandi vim ac naturam induant, cum tamen prioribus jam men-

mensibus in dictis fœtus locis collectæ & accumula-
tæ fuerint. Enim vero quantumvis quoque conces-
derem, violentiam istam, utero a fœtus vehementiori
motu illatam, spasticos qualescumque motus excitare
posse ; quis, quæsio, crederet, a tam turbidis incom-
positisque fœtus agitationibus tam exquisitissimos,
compositissimos, proportionatos & ad certum finem
spectantes motus in utero provenire ? Quæque est
causa, ut eluctatorii hi nixus accurate ab uteri fundo
initium dicant, perque ejus reliquam texturam per-
gendo ad ipsum orificium contendant ? Porro cur
non uno actu peragantur, sed tam exquisito ordine
alternisque vicibus sibi succedant ? Denique cur spas-
ticæ hæ uteri contentiones tanto gradu fusciantur,
quantus ad obstacula superanda fœtumque ex utero
abigendum necessarius est ? Qui pauca hæc pluraque
alia, quæ Laudatissimi Viri sententia reclamant, ani-
mo sedato neutramque in partem reclinante pensita-
verit, is facile perspiciet, quam ficalneis ea innitatur
argumentis.

§. VIII.

Ab hac BOERHAVIANA hypothesi parum re-
cedunt alii, auctores, qui statuunt, dolentes nixus,
in utero a fœtu excitatos, non quidem a stimulo *re-
tentorum excrementorum*, ad complures corporis sui
agitationes concitato, sed ab *onere suo & mole*, in dies
increcente, sive uteri compagem extremo gravi-
ditatis tempore, maximopere distendente, derivandos
esse. Cum enim uterus, turbinis speciem referen-
do, acuminata sua parte in pelvi sit fixus vicinisque
partibus connexus, latiore autem parte, qui fundus

B

usita-

10 *Dissert. inaug. medico-chirurgico-obstetricia*

usitate audit, in sublime tendat, ibique plus spatii, liberius se dilatandi, obtineat; fœtus vero, qui capite suo secundum naturam, deorsum versus uteri orificium spectet, mole & magnitudine in dies grandescat, præter ea compertum sit, caput cuiuslibet partus, constanti naturæ lege, omnium ejus membrorum esse maximum, quod proinde etiam, appropinquante partu, ceteris partibus & mole & gravitate semper antecellat: hinc aliter fieri non posse judicant, quam ut infantis grandescens & aggravans caput in dies majorem vim in anteriorem & inferiorem matricis partem, cui sic dictum orificium insculptum, exserat, illam sensim sensimque aggravando, distendendo, multo tenuiorem reddendo, vehementer urgendo, pedetentimque uteri vaginae admovendo, & hoc pæto tandem ipsum matricis os interius diducendo & aperiendo. Et sic quantum anterior ac inferior uteri pars, in toto sui ambitu, crassitudine decrescat, tenuior evadat, inque vaginalæ cavum capite infantis detradatur: tantum superiori ac posteriori uteri parti, fundo scilicet, ut accrescat, neceesse esse purant: quia, si antica & inferior matricis pars paulatim in vaginalam cedat, & capite fœtus magis ac magis eo urgeatur, simul quoque ipse parvus fœtus suo solius pondere & gravitate magis deorsum tendat; Quo fiat, ut superiori & posteriori matricis parti seu fundo plus spatii vacui, eoque etiam ipso maior facultas se contrahendi detur, præsertim cum substantia ejus carnea in hoc fundo omnium maxime posita sit & perspicua.

§. IX.

Parum recedere, dixi, hanc a mole fœtus sumtam ratio-

rationem ab altera BOERHAVIANA: quoniam & que ac illa, dolores, sub partu contingentes, a causis pure physico-mechanicis derivat. Igitur quæ difficultates BOERHAVIANAM, ex quoque reliquorum premunt sententiam. Ne vero hæc solius contradictionis causa proposuisse videar, anterioribus rationibus ostendam, cur nec huic sententia subscribe-re possim. Ante omnia perpendendum commen-do, qui secundum hanc hypothesin fieri possit, ut *embryo*, vix uno altero mense concepto, per *abortum* ex suo conceptaculo ejiciatur; nam in eo neque mole-les neque pondus accusari potest, quo anteriorem & inferiorem uteri partem tenuiorem reddere, disten-dere ejusque orificium ampliare & aperire possit. De-inde quid judicandum erit, de illis misellis, qui *pedi-bns* primum eduntur, quos PLINIVS idcirco AGRIP-PAS appellat. Cetera, quæ in hanc rem dici possint, lubens præteribo.

§. X.

Ergo si quis a me quæreret, quamnam ego ju-dicem causam efficientem expulsionis fœtus; ei sine formidine responderem, me totum partus negotium nulli alii causæ, quam parientis matris naturæ seu principio vitali tribuere: utpote quæ variis motibus, præter consuetum ordinem auctis, & eo consilio & fine institutis hospitem suum in matrice hucusque commoratum sibi que vel vere vel ficte molestum, ex suo ergastulo exterminat inque lucem profert. Quod autem hi motus, quibus proles ex habitaculo suo emo-vetur, haud quaque incompotiti, tumultuarii, me-re automatici; sed potius maxime regulares, ordinati,

proportionati & consulto adornati atque instituti sint, id cuicunque dilucidissime apparebit, dummodo eorum indolem, gradum, proportionem, ordinem ac finem æqua animi lance perpendere. Motus quippe hic, dolores parturientium nominari soliti, a fundo uteri incipientes sensim progrediendo pergunt ad ejus orificium, idque tanto proportionis gradu, quantus fœtui ex matrice extrudendo sufficit. Absolum proinde foret, sapiens pariendi negotium uteri *fabrica* simpliciter asserere, quemadmodum ab aliquibus confidenter statuitur, non perpendentibus, in uteri structura non deprehendi necessitatem ullam, unde vel aliqua veritatis specie dici possit, cur fœtus, ad justum sui incrementi terminum progressus ipso hoc tempore in lucem edatur. Ex his patricis haud obscure, arbitror, elucebit, quid sit causæ, cur partus labores soli parientis matris principio vitali vindicem.

§. XI.

Operæ pretium mihi visum est, excedere paululum ad istam, quæ multorum animis etiamnum alte insidet opinionem, qua fœtui edendo in partu primas concedunt. Redibo nunc ad istas partus differentias, quas §. III. suscepi excutendas, ne quid a me neglegetur videatur, quod tamen in obstetricandi arte magni est momenti. Cum enim ibi ostenderim, prolem non semper felici partu in vitam introire, sed aliquando facilissimo negotio ex genitali arvo eliminari, interdum vero vix ac ne vix quidem, nisi obstetricante manu accidente, in lucem edi: hinc utique conveniet, primarias illas partus species, quarum rei obstetriciæ cultores in suis scriptis meminerunt, in

præ-

præsenti tradere ; iis enim intellectis, non erit arduum dijudicare, qui partus indigeat periti artificis auxilio, quiique contra ejusdem non egeat.

§. XII.

Non autem eadem est omnium Auctorum, qui de obstetricandi arte aliquid litteris prodidere, sententia, in variis partus speciebus determinandis. Quidam enim *binas* duntaxat partus species constituant, *naturalem* videlicet & *non naturalem*, quas Galli *accouchemens naturels*, & ceux qui sont contre nature nominant. Lingua nostra vernacula vocantur *natürliche* und *wider natürliche Geburten*. Alii & ii plurimi *triplicem* partus differentiam admittunt, qua eum distingunt in *naturalem*, *laboriosum seu difficultem*, & *contra naturam sive non naturalem*, quæ posterior distinctio apud DIONIS libro supra citato libr. 3. cap. 9. p. m. 239. exstat, licet hic idem aliis in locis aliter sentiat. Gallica lingua appellantur *accouchemment naturel*, *laborieux*, & *contre nature*; patrio autem nostro sermone dicuntur, *natürliche*, *schwehere*, und *wider natürliche Geburten*.

§. XIII.

Nonnulli, qui indicaro hoc partus discriminem non contenti sunt, eum in *facilem*, *difficilem*, *naturalem*, & *non naturalem* discinant, quibus aliqui *quintam* partus *speciem* subneant, nempe *monstrosum*. Qui Gallica dicit. Eto cieri solent, *un accouchemment facile ou aise, difficile ou non aise, naturel, contre nature, & monstrueux*. Germanica autem *eine leichte, Schwere, Natürliche, wider natürliche Geburt, und die Geburt wider natürliche beschaffener Kinder*.

B 3

§. XIV.

§. XIV.

Quam quisque vult sententiam, eam sibi ex re censitis eligat, perinde mihi & satis est, heic meminiisse, meum me calculum illorum sententiae adifice, qui duplicum duntaxat partus statuant differentiam; si vero scirem, me cum aliquo dissentiente in gratiam quandam redire posse, non recusarem, eam sententiam amplecti, quæ tres facit partus differentias. Utræque enim illius differentiae facillimo negotio reduci possunt ad naturalem, difficilem seu laboriosam & non naturalem, ideoque eodem fere redeunt.

§. XV.

Verum enim vero vt clarius perspiciatur, quid hisce appellationibus velim designatum, non abs re futurum censeo, si earum *definitiones* hoc loco subiungam. Est vero mihi partus *facilis* & *naturalis* ille, in quo ea est muliebrium dispositio & foetus nascendi situs ac magnitudo, vt hic nixibus grauidæ & spasticis vteri contractionibus impulsus, impedimenta sibi obiecta facile superare, atque ex vtero in lumen emergere queat. Jam vero, cum constet, quid per partum *naturalem* intelligant, non difficile erit perspectu, qui partus mihi sit *præternaturalis*, ille nimurum, vbi talis genitalium muliebrium conditio, vel foetus nascendi positus & moles est, vt hic spasticis vteri motibus nihil omnino; aut certe non nisi magna difficultate & labore expelli queat; quæ ultima verba partus quoque laboriosi definitionem, si quis eam desideret, exprimere possunt.

§. XVI.

VIX

§. XVI.

Ex hisce in medium prolatis partus & *naturalis*. & *præternaturalis* definitionibus, vel me tacente, clarsime apparebit, mulieri partum naturalem enitenti vix ac ne vix quidem auxiliatricibus opus esse manibus, ad foetum excludendum, quia foetus, si in uteroque tam pariente, quam nascente, omnia praesto sunt requisita ad huius expulsionem necessaria, haud multo labore ex aruo muliebri in lucem fertur. Neque adeo rarum est gratuidis securis & imminentis puerperii nesciis, (dum in mensibus grauiditatis computandis falluntur) pariendi horam aliquando ita obrepere, vt partus doloribus correptæ foetum opinione celerius enitantur, nullis qui opem ipsis ferre possent præsentibus. E contrario autem istis miseris parentibus, quæ maxima quidem virium contentione & totius corporis nixu, sed vano atque inani, foetum ex utero moliuntur excutere, nec tamen valent, illis omnino talibus conditionibus, quæ ad facilem & secundum, atque adeo naturalem omnino pertinent partum, requiruntur, succurrere perquam necesse esse, quilibet non solum facile perspiciet, sed etiam simul secum reputabit, quantum heic in mora sit periculum. Quemadmodum enim, Sacri codicis testimonio, non bene valentes, sed solum modo ægrotantes medico egent: ita quoque non tam partus *naturalis*, quam *præternaturalis* obstetricias manus exposcit.

§. XVII.

Eadem quoque *præternaturalis* partus definitio-
ne, quam §. XV. suggessti, satis opinor, perspicuum
erit, obstetriciæ artis Doctores, sine urgente necessi-

tate,

tate, partum in tot diuersas species diuidere, pri-
mum in naturalem, tum laboriosum seu difficilem,
denique in præternaturalem, quemadmodum sèpi-
us citato DIONIS placuit. Alii vero, vt ex supra di-
ctis patet, multo plures partus distinctiones facere
dubitarent nulli. Verum enim vero, si quis forte
tot diuisionibus nihilosecius vsque adeo delectaretur,
vt a sua sibi semel recepta sententia discedere sibi du-
ceret religioni, illum velim rogatum, vt æquo ani-
mo expendat, anne in quoconque partu, si a natura-
li discesseris, siue laborioso & difficulti, siue contra na-
turali, vel, si mavis, præter naturali, cuncta eo rece-
dant, vt fœtus, secundum consuetum naturæ ordi-
nem, ex suo conceptaculo in lucem exterminari ne-
queat, nisi artis obstetriciae subsidiis levatus & adiu-
tus; siue id qualicunque vteri vitio, siue peruerso &
ad prolem nascendam minus apposito situ aut magni-
tudine contingat. Jam vero cum id, quod est con-
tra naturæ consuetudinem, præternaturale Philoso-
phis dicatur, vid. §. 68. *Cosmolog.* ILLVSTRIS WOL-
FII pag. 145. omni etiam luce clarius apparebit, o-
mnem partum, qui communibus atque usitatis natu-
ræ legibus non conuenienter succedit, jure merito
præternaturalem esse dicendum. Rectius proinde
partus omnis in naturalem & præternaturalem dun-
taxat distingui milki videtur. Neque a me dissentit
Excelleni. D. FRIDIVS, quippe qui similiter non a-
liud partus discriminem, nisi naturalis & præternatura-
lis admittit.

§. XVIII.

Quo autem clarius innotescat, quibusnam legi-
bus

bus natura obtemperet, aut ad quæ præcepta sese al-
liget in foetu edendo partuque ita perficiendo, ut
omni jure naturalis dici mereatur ; utique expediet,
requisita plurimorum, ne dicam omnium, rei obstet-
riciæ scriptorum consensu recepta, ad quæ, tanquam
normam, cunctas sic nominati partus naturalis con-
ditiones exigere solent, præsenti loco tradere : his
enim cognitis, facile erit perspectu, qui pariendi
actus nomine naturalis partus dignus sit censendus.
Sunt vero hæ conditiones, testimonio *Excellentissimi*
D. FRIDII Argentoratensis medicæ ac obstetricie ar-
tis Practici felicissimi, sequentes. Primum, ut justo
contingat tempore, nimirum mense graviditatis nono
exeunte aut decimo incipiente. Deinde ut genitali-
um muliebrium *situs*, ut & fetus nascendi in utero
positus sit ad perpendiculum, ita ut fetus vertice sui
capitis ipsi centro orificii interni matricis, linea recta
insistat, facie abdomineque deorsum ad os sacrum
respicientibus, occipite autem dorsoque sursum ossa
pubis spectantibus. Quare in partu naturali infantis
semper capite primum uteri carceribus in lucem ex-
eundum est ; quo ipso per se manifestum fit, quod
neque funiculus umbilicalis, neque placenta, neque
alia quæcunque corporis pars infantis capiti, nec
cum eo simul uteri orificio intrare & connasci,
multo minus præmitti sive prænasci debeat. Postea
requiriatur, ut proles enitenda *sanitate fruatur* sitque
vivax. At vero hic merito dubium moveri posset,
utrum fetus, quantumvis quolibet morbo implicitus,
aut semianimis, quin imo exanimatus, ceteris ad par-
tum pertinentibus juste & legitime constitutis & de-

18. *Dissert. inaug. medico-chirurgico-obstetricia.*

bite succedentibus, partui præternaturali foret propteræ accensendus, nec ne? Porro necessè est, ut secundinæ *æqueos* fœtum subsequantur, aut nisi fortassis statim succendant, certe tamen lenissima quaque attractione utero exeant. Denique ut *fœtus*, quoad fieri potest, quam *brevissime in lucem edatur*, nec in hoc ex utero per vaginam itinere, multum temporis absumat. Tandem ut ipsa *puerpera* neque ante neque post partum, plura insignia, multo minus periculosa sentiat incommoda. Quibus requisitis insuper subiungo, ut fœtus ipse conveniente magnitudine seu mole sit prædictus, ita ut capiti ipsius cum osium pubis hiatu justa intercedat proportio; puerpera autem, tantam genitalium amplitudinem habeat, quanta ad fœtum transmittendum necessaria est.

§. XIX.

Ex his ad partum naturalem requisitis haud difficulter nunc dijudicare simul possumus, qui partus *præter*, vel si mavis *contra naturam* sit vocandus. Neminem enim futurum duco, qui indidem, vel mensilente, non intelligat, istum pariendi actum, qui ab hac norma quomodocunque deflecat, præternaturali venire omnino annumerandum. Libentissime quidem concedo, non facile puerperam deprehendi, quæ non multum doloris & molestiae ex partus labore percipiat, etiam si, quanta maxima fieri potest & facilitate & celeritate, prolem enitatur, idque lege Divina post lapsum a summo rerum Arbitro. sancta & promulgata: verum propter ea haud quamquam omnis partus, qui cum qualibuscumque incommodis & dolobus nunquam non conjunctus esse obseruatur, præter-

ternaturalis est censendus; sed ille duntaxat, vbi pariendæ soboli tanta emergendi ex suo conceptaculo objicitur difficultas, vt nisi in tempore ipsi subueniatur, vel ipse infans succumbat, vel certe genetrici irreparabilis sanitatis detrimenta, aut ipsam mortem inferat.

§. XX.

Non difficile erit, ex jam dictis colligere, partu naturali non esse opus artificiosa manuum applicatione, utpote qui subinde tam expedite absolvitur, vt nullius adstantis subsidio indigeat, vulgari experientia id abunde comprobante. Quamquam non minus notum est, quod partus non nullarum quæ quinque, sexies & saepius exiguo labore pepererunt, tandem fuerit difficillimus, periculosus, lethalis. Contra vero per se manifestum est, quod partui isti, vbi infans nascendus, ob peruersum situm, aut ob alia magna impedimenta, ita in suo itinere obhæret, vt nisi artificiosa manus adminiculo adjutus, suis vinculis expeditus, in vitam emergere nequeat, vtique subsidio sit euendum. Caeu autem, credas, me puerperis, dolore laborantibus, etiam si omnia ad naturale puerperium pertinentia præsto sint, omne auxilium externum esse denegaturum aut hoc damnaturum: ipse met potius auctor cuilibet pariturae existam, vt haud quaquam pariendi tempore externa subsidia negligat vel repudiet, sed multo magis sagaci, religiosæ & obstetricandi artis peritæ obstetrici hoc negotium committat.

§. XXI.

Quamuis enim excludendi fœtus in utero situs

C 2

mō-

20. *Dissert. in aitg. medico-chirurgico-obstetricia*

molesue visitato naturæ ordini maxime sit congrua, ipsaque muliebrium & conformatio & capacitas infinitis magnitudini respondere deprehendantur: non raro tamen contingit, ut præ dolorum acerbitate, vix animi fatis compotes, nefciant, quod consiliū capiant; vel quomodo suæ solius saluti prospiciant, ne ipsæmet, durante partu, qualemcumque valetudinis jacturam faciant; aut quo pacto fœtus commodis consulant, ne tot impensisimis nixibus parientis matris tamque validissimis ipsius uteri contractionibus ex locis muliebribus extrusus velutque erumpens, forte in terram præceps dejiciatur; vel ut nexus illo, qui cum placenta ipsi per umbilicalem funiculum intercedit, fatis mature conuenienterque exsoluat ac fasciis involutus quieti tradatur. Quapropter feminæ parturienti nihil antiquius, nihil esse prius debet, quam ut bona felicitate ejusmodi obstetricem nanciscatur, quæ non obstetricandi solum præceptis omnibus est instruta, sed etiam vitæ integritate prædita. Quanta enim damna vitæque pericula, saltim ærumnas maximas, sine ratione, parientibus feminis per sepe creent obstetrics, quæ obstetricandi artis omnino ignaræ ac rudes existunt, id, proh dolor! complura eaque tristissima exempla, uberrime in Scriptorum monumentis obvia, non minus quam quotidiana experientia fatis superque faciunt testatum. Quodsi vero etiam multo longoque vsu quantulamcumque scientiam aliquando sibi acquisuerint, eo tamen insolentiae ac temeritatis sepe numero procedunt, ut nec vereantur periculum ex aliis facere, & in grauissimo quoque partu, qui vel exercitatissimis in hac arte plu-

plurimum laboris facessere valet, curam suam & auxilium audacter ponere. Immo sunt nonnullae interdum ingenio tam malo prauoque, vt, si in auxiliu invocantur sentiuntque, non esse virium suarum, prægnantem partu leuare, nihilominus parturienti disuadere maximopere studeant, ne obstetricandi peritus arcessatur, opinantes, suam existimationem & famam hac in re agi laetique, si quis alius esset, qui hac doctrina sibi longe antecelleret. Documento hujus, quod de quarundam obstetricum imperitia hucusque quam brevissime dixi, esse potest casus iste, quem hisce lucubrationibus præfigendum curau; quippe ex quo dictorum veritas clarus elucebit.

§. XXII.

Cum itaque jam in eo sit, vt ipsam rem, quam hac dissertatione suscepit explanandam, exponere ingrediar, non alienum videtur, docere, quid me moritur, singularem quendam causam de matrona pariente, quæ in summo natalium splendore fuit præmittere. Cum enim partus hic fuerit paululum difficilis seu laboriosus atque adeo præternaturalis, tum eo dilucidius errores, ab obstetricie commissos, omnium oculis subjecere simulque ostendere possum, quanta cura & cautio cuiuslibet obstetrici in partu leuando sit necessaria, ne vel vitæ pericula, vel certe sanitatis detrimenta, siue puerperæ, siue edendo fœtui, siue vtrisque una adferat.

§. XXIII.

Cum quoque confessæ veritatis sit, non dari vultum præternaturalem partum, quin doctorum ma-

C 3 *num*

nuum adminicula exigat, quarum beneficio inclusus
vtero foetus ita dirigi, in eumque situm redigi pos-
sit, vt ex muliebribus in lucem emitti queat, non cui-
vis autem eam prudentiam, soleritatem & agendi dexter-
itatatem esse concessam, vt foetui, praepotere in ma-
trice collocato, intelligat talem positum, collocatio-
nem & conformatiōnem conciliare, quali omnino indi-
get, vteri carceribus in vitam exiturus: merito in
quaestione hoc loco veniet, cujus nam auxilium par-
turiens mulier in casu tali difficulti implorare debeat,
vt satis secura partu levari suo queat, sine alterutrius
vel vitz, vel saltim sanitatis dispendio?

§. XXIV.

Neminem facile judicio futurum, quin ad hanc
quaestione decidendam respondeat, obstetricandi
hoc negotiorum illi imprimis esse committendum, qui
artis obstetriciae praeceptis, quam maxime imbutus, at-
que adeo multo longoq[ue] viu vsque eo exercitatus fu-
it, vt in auxilium vocatus statim intelligat, qua sit vera
causa, qua prolem ex muliebri aruo excedere prohi-
beat, & quomodo ea remouenda parientique lucur-
rendum fit. Cui responsioni ex animo subscriben-
dum esse puto: profecto enim, qui, partus difficultati
subuenire & infanti extrahendo obstetricantes manus
admoere cupit, is non solidissimis solum ob-
stetricandi doctrina institutus, sed singularibus etiam
naturæ donis exornatus esse debet. Sed talia requi-
sita non semper in iis reperiuntur, qui obstetricio mu-
nere funguntur: quemadmodum enim, VARRONIS
proverbio, non omnes, qui citharam habent, citharœ-
di sunt: ita nec omnes, qui se profitentur obstetrices,
hac scientia recte instituti sunt.

§. XXV.

§. XXV.

At vero heic alia quæstio moveri soler : scilicet, utrum satius sit, soli sexui feminino hoc munus obstetricandi relinquere, an vero virili id demandare ? Evidem in Germania nostra fert consuetudo, ut solis fere feminis, illud jus & potestas, parturientibus manus auxiliatrices admovendi, vindicetur ; præcipue quia nostrates puerperæ, intempestivo pudore, usque adeo a viris, obstetricandi artem exercentibus, abhorrent, ut eos prius non admittant, quam si res jam conclamata sit, nec quicquam auxiliū ab obstetricice amplius expectari queat. Contra vero in Gallia mos invalidit, ut plerumque viri, qui studium suum omne, omnemve operam in doctrina hac perdiscentia collocarunt, hoc officio fungantur & parturientibus præsidio sint. Neque ipsæmet puerperæ istic sibi dicunt pudori, hujusmodi viris se suamque salutem committendī. Si mihi dicendum, quod res est, non vereor aperte confiteri, quod hic frustra sexus ratio habeatur, parumque referat, num masculinus an muliebris hoc munere fungatur ; dummodo obstetricandi doctrina optime institutus satisque fuerit exercitatus, ceterisque naturæ dotibus, quæ ad partus negotium legitime suscipiendum feliciterque conficiendum pernecessariae sunt, convenienter donatus sit : hic enim qui paratus ornatusque exiſtit, de illo nihil dubii est, quin manus ipsius, auspice Deo, possint esse felices. Et licet partus non semper ad vota succedat, maxima tamen circumspectione & diligentia prudens talis operator eo laborat, ne quid adversi, propria sui culpa, puerpera & fecui accedat.

§. XXVI.

§. XXVI.

Haud dubie vero hic respectu feminini sexus quæretur; ubi locorum ejusmodi obstetricices, tanta obstetricandi dexteritate & solertia instructæ, offendantur? Neque dissimulo tales esse aves in nostris præsertim terris rarissimas, quippe ex sexcentis vix unam alteramne deprehendes, quæ vel mediocriter sanis in hac scientia præceptis sit eruditæ; & si forte inveniatur, quæ in hac doctrina aliis obstetricibus paulo instructior videatur, non aliam tamen, quam mancam & imperfectam hujus scientiæ habere obser-
vabitur cognitionem, quæ tam arduo negotio perpe-
trando haud quaquam sufficit, sed, ut propere pro-
cedat, scientia obstetricandi omnibus numeris & par-
tibus perfecta est omnino necessaria. Quando au-
tem perpendimus, quod nostrates obstetricices suam fi-
bi artem conciliare soleant, tantummodo experium-
do & periclitando, sine certis & solidis principiis, §.
XXI., ideoque eorum omnium, quæ partui rite &
prudenter in lucem proferendo usui esse possunt, ut
plurimum insciæ ac rudes existant; econtrario viri
isti, qui hanc artem exercent, plurimum temporis,
studii, operæ & sumptus ei addiscendæ & funditus ex-
hauriendæ impendant: quilibet sane mecum judica-
bit, hosce viros feminis, prudentia, scientia & obste-
tricandi dexteritate longe præstare, ideoque multis
respectibus iis esse præferendos.

§. XXVII.

At vero cum magis optandum quam sperandum
sit, consuetudinem istam, qua sexui sequiori dun-
taxat jus & potestas illa, prægnantes partu leuandi, con-
cedi-

ceditur, vnquam antiquatum iri, hinc frustra ille operam sumturus mihi videtur, qui hanc consuetudinem, cuius vis est maxima, mutare aut plane abrogare vellet. Igitur sapienter sunt fereinda, quæ commutari nequeunt. Haud inconsultum autem erit, quæ obstetricum debeant esse qualitates, si duram istam, quam ceperunt provinciam, in se suscipere velint, quam brevissime docere. Cumque omnia, quæ DEVENTER Libro, *observations importantes sur le manuel des accouchemens* inscripto, ab idonea obstetricice postulat, vel eius corpus vel animum respiciunt: primum de corpore, deinceps autem de *animo* dicere mecum constitui, & ea quidem brevitate, quam dissertationis limites praescribunt.

§. XXVIII.

Ad *corpus* quod attinet, sunt quidem ea, quæ hic desiderantur, fere minima, attamen non penitus contemnenda. Merito enim postulatur, ut obstetrix firmam corporis constitutionem habeat, & formæ quoque dignitate prædicta sit; quæ duo postulata non solum excludunt omnia ista corporis vitia & deformations, quæ puerperæ tedium & aversationem movere, & obstetrici in muneric functione impedimentoa esse possent, sed etiam præcipue morbosam illius constitutionem. Quo præ aliis pertinet, ne *lue venerea* obstetrices sint infectæ: alias enim & parienti & foeti, testante experientia, talem labem affricare solent. Porro requiritur, ne obstetricans mulier sit vetula & ætate fere confecta, vt pote quæ tantas non amplius habet vires, quas artificioſa fetus extractio requirit; neque vero juvenili admodum sit ætate, atque adeo vix

D

pu-

26 *Dissert. in ang. medico-chirurgico obstetricia*

pubescente juventute, quippe in quam, teste CICERO-
NE, non cadit sapientia. In medio hic quoque con-
sistit virtus, nempe in ætate, quæ satis matura & sci-
entia obstetricandi consequenda, atque laboribus fortis-
ter ferendis idonea existat. Deinde necesse est, ut non
adeo sint obesæ vt pote quod ipsis impedimento fu-
turum esset, quo minus munia sua convenienter obire,
& labores susceplos satis diu sustinere valerent. De-
nique leges exposcent, vt manibus gracilibus qui-
dem, attamen longis, ac satis validis sint instructæ:
sic enim, si necesse fuerit, vaginæ vteroque, sine exi-
mo doloris sensu parientium, immittere possunt. Tan-
dem quoque digitis manuum longis, admodum flexi-
libus (contrafactura aut paralyssi minime correptis) te-
neris sicque exquisitissimo sensu prædictis donatae sint
necessæ est, ad tactum eo accuratius instituendum.

§. XXIX.

Hæc sunt potiora ex parte corporis requisita. Jam
quoque indicabimus, quibus *ingenii* dotibus exsplen-
dere debeant. Principem characterem & mentis or-
natum in vitæ intégritate morumque probitate esse
ponendum, nemo sâne negabit: verum enim vero
quam maxime dolendum est, quod obstetrics, præ ali-
is seq: aioris sexus, vitiis & flagitiis plerumque inqui-
natæ sint. In primis deprehenduntur garrulæ, capti-
osæ, voluptuosæ, obscenæ, potrices, delatores: quam
ob causam in hoc sinceri animi requisito multa quidem
postulamus, pauca autem plerumque obtainemus. Per-
gendum igitur erit ad reliquas mentis qualitates: vi-
delicet necesse est, ut sint solertia*ingenii* & subacti *judicii*, vt in rebus dubiis & alicipitibus expedita consilia

ca-

capere, convenientissimaque auxilia invenire valeant. In tam arctis enim rebus, vbi duorum imo trium & plurium vita in maximum periculum extremumque discrimen venit, moræ & retardationi non est locus. Porro ab idoneis obstetricibus requiritur, vt non sint ignavæ, socordes, negligentes, sed alacres & ad quævis officia sua paratae. Postea neque timidæ quider & trepidæ, at vero nec temerariae & audaces sint, sed magno & forti animo, præfertim si status videatur esse periculosus; alias, subsidii loco, puerperæ haud sane exigua damna inferre possunt. Quodsi enim obstetricem magno metu & timore sentiat esse perculsam, extremis motibus convellentibus corripi potest, qui ipsi parienti & fœtui, nimortem, certe tamen sonica damna adferre solent. Denique quoque convenienti obstetricibus, vt suaves, jucundas & tranquillas se ostendant, quippe quæ dotes eo valent, vt parientis obsequium ad ea, quæ necessaria sunt, facilius imperare possint.

§. XXX.

Quamvis autem recentiæ tam corporis quam animi qualitates præsto sint: non tamen sufficiunt ad officium, de quo loquimur, rite præstandum. Quare necessitatis est, vt ipsius artis obstetriciae præcepta & requisita in eis reperiantur. Secundum VLPIANVM, qui obstetrics vult esse *probatissimas tam artis quam fidei*. Videlicet vt tot principiis anatomicis, quot ad artem suam rationali modo exercendam ex usu esse possunt, imbutæ sint, alioquin partes, quæ se obviam eis dant, si genitalia digitis contrectant atque explorant, dignoscere nesciunt. Deinde summae necessi-

tatis est, ut funditus intelligent, quomodo debita partium genitalium contræctatio suscipienda, ad fœtus in utero delitescentis situm seu positum, & ipsius orificii matricis constitutionem, quæque sunt alia ex hac contractatione perveftiganda, comperienda cognoscendaque; id quod fit vel digito indice solo, vel medio simul, bene illinito, vaginæ immisso, ad uterum ipsum usque deducto, diciturque Gallis *touchement, atouchement;* Germanis *der Angriff.* Quanti enim referat, ut uteri ostium atque edendæ prolis in illo positus & collocatio prius investigentur, quam puerpera se partui accingat, id cuique spectatissimum erit, qui obstetricandi doctrinam edoctus est: illa enim Andabatarum more pugnatura mihi viderur, quæ prægnantem ad partum enitendum adhortatur prius, quam exploratum habeat, an uteri os jam utcunque apertum, an vero adhuc arcte clausum, quo modoque infans in locis muliebribus collocatus, rurisque tempus & dolores ad partum adsint? Poffremo tantam quoque artis obstetriciæ notitiam & dexteritatem habeat, necesse est, ut qua via fœtui sciat & matri, si partus summis difficultatibus obstrictus est, solertibus manibus subvenire & opitulari. Illa enim nihil præcipua laude dignum efficit feliciter quæ partui naturali præest; sed in partu præter naturam contingente, utpote qui difficilioris est negotii, omnino habet, ut præclaram suam soleritiam & dexteritatem obstetricandi ostendat.

¶ XXXI. *¶* Potiora hæc sunt requisita, quibus obstetrix adornata esse debet: ast si verum fateri mihi liceat, non possum, quin apertius dicam, inter sexcentas viii u-

nam

nam alteramve nostra in Germania reperiri, quæ cunctis hisce virtutibus donisque prædita conspicitur: in Gallia vero, ubi obstetricandi scientia multo impensisiori studio colitur, obstetrics quoque hac doctrina magis exultas deprehendimus. Ceterum ex haec tenus commémoratis haud sane obscure elucet, quam grave sit & arduum obstetricandi múnus, quantoque ingenio, prudentia, sagacitate ille esse debeat, qui illud exequi sustinet, ne damnum inferendo conscientiam lœdat. Quamvis autem Artifex optimis hujus doctrinæ præceptis funditus imbutus sit: tanta tamen haud raro difficultas solo nudoque manuum auxilio parientem partu levandi, ipsi occurrere solet, ut, nisi certis quibusdam instrumentis utatur, non facile suum scopum sit consecuturus. Fuerunt quidem peritissimi, qui omnia instrumenta ex arte releganda putarunt, solisque manibus omnes partus species feliciter absolví posse, crediderunt: ast casus oblati aliam denique sententiam de instrumentis ferendam ipsos docuere.

§. XXXII.

Idcirco, cum instrumenta omnino interdum necessaria sint, congruum puto, ea quæ præcipua judico, breviter recensere. Primum est biceps acutissimus, inque cuspidem desinens *cultellus*, qui in metallica quadam vagina seu theca oblonga reconditus & mobilis hæret, ut a tergo manu impulsus, nullo negotio extra suam thecam extrudi, in illamque retractus iterum abscondi queat. Gallis *cultellus* hic vocatur *Troccart*, *troiscart*, *trois quarts*, quo tutissime uti solent ad capitis nascendi fœtus magnitudinem imminuendam, in eo scilicet casu, quando alia arte atque ἐγχειροι fœ-

D 3.

tus

tus de sua sede & loco extrahi non potest. Alterum est parva quædam *serra*, qua priori cultello facta craniæ apertura amplior redditur. Quibus tertium adiungendum est, *cochlear* videlicet oblongum, non adeo magnum, in anteriore & superiore parte uncinulæ instrumentum, ad cerebrum ex calvaria depromendum ejusque meninges indidem extrahendas. Quartum est *hamulus simplex*, aliquantulum acutus. Quintum similis priori *hamulus* sed *bifurcus*. Sextum *cultellus* est, falcis in modum curvatus, acutissimus, cuspidè obtuso aptatus, ad foetum dissecandum. Quibus tandem *septimum* addendum est, *Stilus* nempe longus in mucronem acutum desinens, & canali metallico occultatus, ad illa membranæ involucra pertundenda, quibus foetus est inclusus, ut aqua iisdem contenta, effluere possit.

§. XXXIII.

Hæc sunt arma, quæ ad manus semper habere debet, quisquis parturientem perdifficili partu levatum iverit, utpote quæ in casu summe periculoso ubi nullum aliud auxiliū genus reliquum est, sufficiunt, si artificiose & prudenter adhibeantur. Sed non omnibus eorum usus indiscretus permittendus est, minime omnium obstetricibus, verum iis tantum, qui perite in hac re versari didicerunt. Quemadmodum enim clava extra manum HERCVLIS nihil prodest; ita hæc quoque instrumenta nihil valent nisi in manu exercitatiissimi artificis. Qui hic nunquam obliviaatur cautelæ illius, quam obstetricandi ars docet, nempe, ut, dum una manu hujus instrumenti manubrium tenetur, altera in eo loco, ubi applicari debet, ipsius aciei

De Obstetricum imperitia & erroribus. 31

aciei sit proxima, ne forte a via recta deflectens genitalia laedantur.

§. XXXIV.

Sunt qui hactenus recensitis instrumentis aliud insuper, quod *forceps Anglicana* cieri solet adjunctum volunt, cuiusve tufum mirifice extollunt, in illa partus difficultate, ubi nascentis caput in pubis ossibus usque adeo quasi incuneatum haeret, ut nudarum manuum auxilio neque protrahi, neque retropelli possit. At vero non video, qua ratione haec forceps capitis lateribus, ossi pubis utrobique usque adeo appressis, ut nihil spatii relictum sit, quo vel tenuissima quæque ferri lamella intrudi posfit, adhiberi queat; neque causæ, ob quas talis partus contingit, removeantur, neque pericula, in tali partus specie metuenda, avertantur: quare sententiae *Celebr. FRIDII* subscribo, qui firmiter persuasus est, obstetricans hocce instrumento carere posse, dummodo prioribus instructus sit, iisque in tempore convenienter uti sciat.

§. XXXV.

Præcipua haec fuere, quæ præmittenda arbitratum sum de requisitis, quibus illi, qui obstetriciam artem exercere conantur, adornati esse debent. Quæ vero obstetrics hisce virtutibus non sunt præditæ, suasque effrenatas cupiditates, quibus indulgent, atque impetus animi cohibere, sibique temperare raro valent, magis detimento quam adjumento interdum esse solent.

§. XXXVI.

Jam progredior ad ipsum illum casum, quem hac dissertatione perquirere constitui, perlustrandum, quo lucu-

luculentius plurimarum obstetricum, quas Germania nostra alit, inscitia atque imperitia, cui insuper in aliquibus livor & improbitas sese socia adjungere solent, compareat. At vero mihi opponi posset, dissertationis meæ frontem plus ostendere, quam ipsam retractationem; siquidem in *rubro de obstetricum* ignorantia atque imperitia me esse disserturum promiserim, in *nigro autem de unius tantum errore scripsierim*. Enim vero a *majori* hic concluditur ad *minus*: nam si prægnantes, quæ summo natalium splendore effulgent, quæque eligendi facultatem habent, adeo infelices sunt, ut selectæ tam graviter subinde obstetricando delinquent, quantum erroris & imprudentiæ ab ipsis obstetricibus, quæ inferioris subsellii sunt, nec ulla obstetricandi disciplina unquam eruditæ, expectandum erit? Visum ergo mihi est, ex plurium numero duntaxat hoc exemplum, quo testatus non facile aliud datur, B. Lectoris oculis subjecere. Nam cum docta hæc atque experta (uti venditata fuit) ab erratis mendisque non fuerit immunitis, justa sane æstimatione alias easque plurimas, nulla arte institutas, meteri poterimus.

§. XXXVII.

Primum itaque quod in hoc casu censendum mihi videtur, est *præceps illius judicium de genuinis ad partum doloribus*. Ex supra dictis patet, cardinem obstetriciæ artis maxime in eo verti, ut artifex genitalium, in primis orificii matricis conditionem & constitutionem digitis explorare, hacque via de foetus situ aliquid certi statuminare sciat; hic autem clarum est, quod obstetrix de convenientiæ muliebrium pervestigati-

gatione parum, aut nihil intellexerit, saltim eam perverse instituerit. Etenim omnes Viri, hac arte præclarissimi in eo conveniunt, solum arvi genitalis exploratione certo dijudicari posse, utrum partus jam immineat, nec ne? Tantis Viris adstipulans dico, quod certiori modo comperiri non possit, quam orificium uteri rite explorando & dolores gravidarum prudenter dijudicando.

§. XXXVIII.

Notum enim est, dolores, prægnantibus solennes, non esse eosdem, sed admodum diversos, & distinguiri in *veros & spurios*: *Veri* partus dolores incipiunt a renali regione, inde per lumbos progrediendo ad ossa pubis & potissimum uteri orificium, concurrente conatu mingendi fecesque alvinas deponendi. Sub his motibus, si tactus instituitur, uteri orificium magis, quam antea apertum reperitur, membranæ, aqua repletae, admodum tensæ rigidæque tanguntur. Nostra lingua vocantur *die gute oder rechte Kindes-Wehen*, dum hi in partu naturali fœtum expellunt. *Spurii* autem dolores a nullo quidem stabili certoque loco auspicantur: ut plurimum tamen ab alterutro lumborum latere originem capiunt; unde transverso velut itinere pergendo ad latus oppositum excurrunt, & non tam tenesimum deponendarum fecum, aut conatum urinæ mittendæ, quam potius exquisitissimum sensum ardentem & scindentem inferunt, tactuque his doloribus sanguentibus, instituto, uteri orificium antea paulisper apertum constringitur, digitus immisus premitur, nulla quoque membranarum densitas percipitur. *Nostratisbus wilde oder*

E

Schnei

34 *Dissert. inaug. medico-chirurgico-obstetricia*

Schneide-Wehen vocantur, propter doloris sensum, quasi uterus cultro discinderetur; priores autem sensum magis prementem ac tendentem inducunt.

§. XXXIX.

Haudquaquam hæc ita volo intellecta, ac si dolores spurii omni semper partu necessario adesse debant; sed duntaxat moneo, eos *Jepins* adesse, partum aliquando præcedere ac pueras satis vehementer excruciare, nullo tamen sub sequente emolumento. Præter jam commemoratas dolorum species *alia datur singularis*, quæ prioribus multo lenior est, quamvis ab indole atque genio legitimorum partus dolorum, si a gradu & breviore duratione discesseris, parum abludat. Qui leniores dolores gravidis supervenire observantur multo ante, quam res puerperii in ferium vertitur, nempe exeunte octavo, vel incipiente nono graviditatis mense; sensum quem inde percipiunt gravidæ, est, ut dictum, verorum vere similis, & licet leniores sint, cogunt tamen gravidas, ut striæ dentibus eos quasi adjuvent, faciem rubore suffundant, inquit illo situ, in quo eas deprehendunt, manere cogant. Vero simillimum est, hos dolores uteri orificium sensim sensimque præparare ad dilatationem, in partu ipso suscipiendam. In principio per diem aliquoties tantum percipiuntur; quo sèpius autem & citius hi motus sibi invicem succedunt, eo certus est, partus tempus proxime instare.

§. XL.

Rei obstetriciae Scriptores huic motuum specie peculiare nomen non imposuerunt. Evidem DIONIS Libr. II. cap. XVII. p. m. 189. eam innuere videtur dicen-

dicendo: lorsque l'enfant fait cette culbute, la mere sent un mouvement extraordinaire, qui lui fait croire, qu'elle va accoucher. Derivavit autem hos dolores a vulgari ista sententia, quasi foetus octavo mense, in suo conceptaculo se invertat, & antea sedens quasi in utero, jam decumbens ejus caput ad ostium matricis possum sit; quæ inversio uno momento perfici creditur, Gallisque vocatur *la culbute*; quod tamen unquam fieri doctissimus FRIDIVS omnino negat; & experientia huic *culbute* quam maxime contradicit. Sed idem hic DIONIS singularis hujus dolorum speciei haud obscure meminisse videtur *libr. III. cap. II. p.m. 204*, ubi, *les signes*, ait, *qui arrivent peu de iours avant l'accouplement*, *sont quelques douleurs dans les reins*. Van HOORN hanc dolorum speciem nominat *die Vorboten part. I. cap. IX. p.m. 35*. Excellent. FRIDIVS vero hos dolores patria nostra lingua vocat *die Nopfer*, quæ denominatio quoque ab obstetricibus Argentorati recepta est.

§. XLI.

Perspecta igitur istorum dolorum diversitate, quæ prægnantibus ante partum sunt solennes, in eo jam est, ut perquiram, num obstetrix, quæ in meo casu parturienti fuit auxilio, in tam diversis dolorum speciebus recte dijudicandis & dignoscendis errorem quandam admiserit? Recordor me §. XXXVII diserte dixisse, non esse certius signum, ex quo obstetricandi peritus partus præsentiam indubitatissime colligere queat, quam si orificii matricis conditionem ac dolorum præsentiam satis exploratam habeat; id quod non potest alter quam tactus ope fieri, si ille curatissime, non minus

E 2

maxi-

36 *Dissert. inaug. medico-chirurgico-obstetricia*

maxima diligentia, quam patientia instituitur, ut inde eluceat, an istud orificium jam dehiscere, & quoisque feso aperire inceperit. Quam primum enim tactus beneficio habuerit compertum, uteri os satis hiare, præterea observaverit, veros dolores vehementerque urgentes jam adesse, nihil dubii amplius fuisset, quin justum enitendi tempus appropinquaverit. Quod si vero eadem ope compererit, matricis ostium nondum aperiri, quantumvis prægnans satis acerbis correpta fuerit doloribus, tales saevientes motus pro veris partus doloribus minime habere potuerit. Jam si ea, quæ a nostra obstetricie statim in principio suscepta sunt, considerati perpendamus, liquido appareat, eam vel parum, vel admodum nihil hujus artificii, muliebria rite scienterque examinandi, scivisse, quemadmodum idem ex infra dicendis clarius liquebit. At vero cum ejus tanta fuerit infacia atque imperitia, oris uteri habitudinem perquirendi, non potuit non in tam dissidentibus inter se partus doloribus recte pernoscendas & dignoscendas hallucinari. Itaque nullus dubito, aperte confiteri, vero videri simillimum, dolores istos, qui gravidæ Matronæ acciderunt, de illa dolorum specie fuisse, quos jam aliquot hebdomadibus ante partum prægnantibus obrepere supra perhibui. Nec est, quod hoc dubitamus, expensuri, gravidam hanc denum octavum siæ gestationis mensem duxisse, utpote quo tales dolores primum sentiuntur, prænuntiantes parendi tempus non ita longius esse remotum. Id quod nec illis mulieribus, quæ jam aliquoties sunt partum enixa, ignotum est, quæ propter ea etiam hujusmodi dolentes motus nihil morantur.

Quæ

Quæ autem primo uterum ferunt, hos dolores sentiendo, usque eo perturbantur, ut quid agant, quid yे consilii capiant, ignorent, quia non vitæ & saluti foetus solum timent, sed se abortum quoque vel potius partum præmaturum passuras esse, vel certe jam justam adesse pariendi horam, seque calculum non recte duxisse sibi persuadent. Idem Matronæ nostræ evenisse ominor: illa enim primum partum sustinuit, ideoque talium dolorum inscia facile credere potuit, puerperium jam si bi appropinquare. Obstetrix in auxilium vocata, assensu suo istum errorem confirmavit, & frivola sua conamina eidem superstruxit.

§. XLII.

Exstant quidem exempla, ubi gravidae, spasmatico - colicis doloribus, ultimo gestationis tempore correptæ, in veros partus dolores conjectæ fuerint, & solito maturius pepererunt, DIONIS *libr. III. cap. II. p.m. 203.* nullus dubitavit, hos colicos dolores classis superiorum, sub partu tragediam suam agentium, annumerare. Verum enim vero etiam si non abnuam, colicos ejusmodi dolores permultis prægnantibus, extremis præsertim mensibus, haud sane esse infolennes, quin imo, ipsa loquerent experientia, identidem ipsis veris & justis partus doloribus ianuam aperire, ita ut hi matricem adorti, foetum ex suo conceptaculo expellant: certo tamen documento demonstrari non potest, dolores, qui in casu nostro primi in scenam prodierunt, tales fuisse. Quodsi etiam concederem, eos primo non alios fuisse, quam colico - spasticos cruciatu, ex quibus postmodum legitimi partus dolores enati fuerint; nihil tamen minus in confessio esset,

obstetricem adhortando ad laborem gravissime offendisse: sane enim in ejusmodi circumstantiis non est tempus, tales cruciatus collaborando augere, sed potius congruis remediis placare. De hoc errore, quem obstetrices saepius committunt, scriptit *celeberrimus A DEVENTER cap. XVII.* Quod vero ad DIONIS sententiam attinet, qua colicos dolores in numero spuriorum dolorum refert, in eo non habeo, quid huic Viro doctissimo assentiar: nunquam enim spuriis dolores, nisi in ipso partus actu, percipiuntur, colica autem tormina, si aliquando oriantur, partum praecedunt; præterea spuriis dolores infimam & anteriorem ventris partem magis sibi vindicant, ubi transverso tractu uterum reptantes, acuto & scindente doloris sensu se manifestant, dolores vero spasmодico-colici altius saeviunt, inque ilio potissimum sentiuntur, quin imo partes in epigastrio & umbilici regione collocatas pervagantur, sensum tensionis validissimæ, ruptiōnem harum partium veluti minantis, inferunt, qui subinde fremitu & murmure flatuum est stipatus, de quo conf. *Dn. PRAESIDIS conspectus Tabularum theoretiко-practic. Tab. CVII. p. 837.* Ex quo haud obscurè apparebit, spurios dolores neutiquam esse confundendos cum colicis torminibus.

§. XLIII.

Quo autem magis hujus obstetricis imperitia pernotescat, quam in hoc partu ostendit, ad alios errores commissos progrediar. Tertio partus die, cum res loco esset difficillimo, nec ulla amplius spes fœtus enitendi puerperæ relicta, necessitas, quæ durum hic telum fuit, urgebat, ut Virum obstetricandi peritum deni-

denique admitterent; qui accedens habitudinem orificii matricis & foetus in utero situm, quidque ipsi esset impedimento, quo minus ex utero expelli posset, contrectando mox comperiebat. Cum enim digitos ostio uteri admoveret, infantis cubitum in ipso orificio uteri infixum offendebat; qui proinde situs longe alius erat, quam ut partus naturalis exspectari posset. Sane si quid obstetricis hujus ignorantiam & imperitiam prodit, certe est crassissimum hoc *erratum, quod in infantis situ perverigando, detegendo & cognoscendo commisit.* Etenim ex ipsius casus historia perspicuum est, eam diserte dixisse, omnia ad partum naturalem esse accommodatissima. At vero pariendi negotium, si quis naturae convenienter atque ex sententia succedere optat, universa illa requisita, quæ §. XVIII. recensui, adesse omnino debent. Utrum vero talia omnia praesto sint, an desiderentur? de eo nil certi constat, nisi prævia prudente recteque instituta muliebrium contrectatione foetus situm, & partium ipsius prægredientium positum habeamus compertum; quod non cuiusvis obstetricis est; sed magnam utique obstetricandi peritiam exposcit.

§. XLIV.

Obstetrix ergo nostra situm infantis aut exploravit aut plane omisit: si posterius, maximæ negligentiæ omni jure arguenda est? Si vero prius imperitiae suæ testimonium exhibuit irrefractabile. Quod si enim artis obstetriciæ legibus explorationem congruentem instituere sciisset, de cubitus prominentia facile certior fieri potuisset. Quamvis enim perdifficile est, quasi si fœtus partes, quæ uteri ostio proxime

me



me subiacent, accurate a se invicem tactu semper distinguere, cum primis si diu jam ibi hæserint: nullius tamen fere difficultatis est, cubitum, si matricis aperturam intraverit, a ceteris foetus membris & præcipue ab ejus capite discernere. Præter enim magnitudinem, qua foetus caput a cubito diffidet, & figuram, utriusque dissimillimam, in cubito, tactus beneficio, speciatim deprehendimus processum, GALLENO *olecranum*, HIPPOCRATI vero dictum *ancon*, quem ulna os constituit, ut & bina ossis humeri tubercula lateralia, itidem satis prominula, quæ proinde inæquali & utcunque accuminata sua figura, nec non flexura proxima rimam aliquam referens, contrariantibus digitis facile cubiti præsentiam produnt; cum contra in capitibz vertice, si uteri ostio inhæret, nulla talis inæqualitas nec in aliquid acumen durum desinens apex inveniri potest, ut pote quod speciem globi cuiusdam, usque quoque satis æqualis, natura-liter, si ibi diu non inhæserit, refert. Quæ cum ita sint, cuivis hujus obstetricis imperitia erit perspecta, quippe cui artificium illud explorandi pernecessarium, aut plane incognitum, aut tantum leviter degustatum fuisse videtur.

§. XLV.

At vero ut porro innotescat, quoque hujus feminæ non solum imperitia sed etiam improba temeritas processerit: perpendendum commendō, quod ejusmodi rudis femina falcam suam temerario ausu in alienam messem immittere & pellentia medicamenta dare non erubuerit. Sicut enim foetus exclusionem retardatam a doloribus deficientibus frivole deri-

derivavit: ita falso huic supposito noxia remedia superstruxit. Nam Matrona per diurnos labores viribus erat exhausta, & situs infantis præternaturalis: quare pellentia quovis modo noxie propinabantur. Id quod contra sanæ rationis & obstetriciae artis præcepta fiebat: nam fœtus usque adeo sinistre collocatus erat, ut vel fortissimis pellentibus indidem exturbari non potuisset. Evidem cuidam videri posset, ac si hujus obstetricis temeritatem nequitiam atque inscitiam gravius reprehendissim, quam humanitatis & amoris officia permetterent: sed vere testor, me hic non fovere personalem indignationem, sed hoc tantum exemplo docere velle, quantum licentia sibi subinde obstetrics sumant, & quo temeritatis, nequitiae atque audaciae devenire soleant. Plurime enim eandem temeritatis, eandemque censuram incurront.

§. XLVI.

Tandem quoque ex historia hujus partus satis perspicuum est, quod recentis erroribus atque imperitiæ, *malevolentia & livor* sese adjunxerint. Cum enim parientem tam creberrimis & laboriosissimis nixibus & parturiendi conatibus defatigatam viribusque proponendum exhaustam animadverteret, nec suarum esse virium, fœtum ex illis vinculis, quibus in utero arctissime detinebatur, exsolvere & liberare, callide denum rata est, jam diutius non esse morandum, sed potius Viri obstetriciae artis periti auxilium implorandum, ne forte sua existimationis faceret detrimentum. Ecce manifestissimum, non solum erroris & temeritatis, sed etiam *livoris* atque invidentiae documentum. Quodsi enim falsam obstetricandi artis persuasionem sibi non sumisset, nec suis viribus nimium tribuisse, tam ar-

F duum

duum negotium sibi soli non adjudicasset, sed tam præclarum atque exercitum in hac arte Virum statim in auxilium vocare non dubitasset. Aequa animi lance hanc rem penitus facili apparebit, hujus obstetricis arrogantiam & temeritatem falsasque intentiones salutare istud consilium exclusisse. Haud dubie speravit, pariendi negotium ex sententia esse successorum, sequere amplissimam laudem & remunerationem sic esse consequituram.

§. XLVII.

Sed satis est, de obstetricis imperitia & fraude dixisse. Panca de ipso *Operatore* ejusque operandi modo subiungenda esse puto. Ex casu meo elucescit, quod Viro huic, qui extremo partus tempore convocatus est, instrumentis, ad foetum ex utero extrahendum, uti necesse fuerit; qua in re minor contradictionem ab iis, qui instrumentorum usum & applicationem in partu expediendo plane rejiciunt. At plura nec levius argumenti momenta prostant, quibus evincitur, quod aliquando in partu maximæ difficultatis foetus sola manuali ope nullo modo suis compedibus exsolvi inque lucem protrahi queat, ideoque instrumentorum usus necessarius sit. Neque exempla desunt, quæ ab obstetricibus in ipso partu diu multumque sola manuali opera sine optato eventu agitata sunt. Quare tandem instrumenta in subsidium vocari debuerunt. Intermi ego prospicere non possum, cur Vir noster præclarus instrumentis in hoc casu usus fuerit cum ille situs, quem foetus hic habuit, haud quaquam fuerit deterrimus, neque desint exempla, ubi infantes in tali positu fine ulla instrumentorum applicatione solisque manibus in lucem protracti sunt, & si omnino illa necessaria sunt, alia quam hamuli in auxilium ducenta.

Nul-

Nullus tamen dubito, experientissimus hic Vir suas habuerit rationes, quæ instrumentorum usum postularunt. Est etenim vulgaris seminarum mos, Viros obstetricantes in subsidium prius non vocare, quem si res sit desperatissima.

§. XLVIII.

Sed quid de *vulnere*, vaginae illato, tamquam præcipua mortis causa, dicendum erit? Videri posset, ac si quid culpæ Vir cæteroquin exercitatus hic in se accumulasset: verum enim vero permulta mihi obstant, quo minus hoc a tam solerti viro fuisse factum credam. Evidem non abnuero, tam ipsum uterum, quam ejus vaginam, instrumentorum minus provida applicatione, utique facile vulnerari posse, in primis si cautela ista, supra a me tradita, sub applicatione eorum non observetur; sed quis Viro, qui tantæ dexteritatis fuisse traditur, tales encheiræ incognitas aut ab eo neglectas fuisse credit? Ne vero videar, me partium studio hic laborare, feminam obstetricem accusando, Virum autem per auctoritatis præiudicium exculpando: perpendendum moneo, quod dissertationis thema de imperitia non virorum sed seminarum obstetricantium exponat, præterea certo non constet, num vaginæ vulneratio per instrumentorum applicationem facta sit, an vero ab alia causa (quod haud raro contingit) ortum sumferit, ex contraria parte obstetricem feminam errores suos & temeritatem adeo manifestasse, ut ne minimum excusandi locum invenire liceat.

XLIX.

Ceterum plura in obstetriciæ & aliorum Scriptorum libris exstant testimonia de muliebrium læsionibus, quæ non ab instrumentis, sed ab immodesta at-

44 *Dissert. inaug. medico-chirurgico-obstetricia*

que improvida obstetricum manu facie fuerunt. *Vid.*
ACT. VRATISLAV. an. 1710. mens. Octobr. pag. 1945.
ubi casus quidam de l^esione vaginæ ab obstetricie, si-
ne ullo instrumentorum usu, illata legitur; p. 1941.
casus est magnæ uteri inflammationis, ab obstetricis
barbara operatione inductæ. *Conf.* etiam D. ZEVNE-
RI *dissertat.* Erford. habita, *de causis sinistri morbo-*
rum eventus, medici culpa vacantibus, §. XV & seqq.;
ubi auctor obstetricum errores, imperitiam, nequitiam
atque inadvertiam per quam dilucide ob oculos
posuit. Cui volupe est plura de obstetricum errori-
bus, inscitia, imperitia atque inadvertia cognoscere,
is adeat dissertationem D. JOH. GE. SIMONIS *de ob-*
stetricibus, Respond. J. H. LOTS, quo etiam nominatus
D. ZEVNERVS B. L. mecum remittit. *confer.*
etiam EPHEMERID. NAT. CVRIOS. ubi similia
exempla disperse relata extant.

§. L.

Sic casu hoc luctuoso explicavi obstetricum plu-
rimarum imperitiam & ex ea dependentes errores at-
que noxas. Nemo autem eredat, me, dum feminæ
obstetricis exemplo id feci, animum erga illam ha-
buisse affectuosum; persona enim illius plane mihi
ignota est. Exercitii causa scripti, non vero ut mortali-
um lædatur quisquam: exemplum posui maximæ con-
fidentiæ, ut ex eo documentum necessariæ diffidentiæ,
quorum interest, capere possint. Iterum igitur dico:
si hæc obstetricia, quæ tamen institutis & præceptis artis
obstetriciæ instructa fuisse ferrur, tam graviter offendit;
quid demum ab iis expectandum erit, quæ prorsus
ignara sunt, & in arte obstetricandi nunquam erudi-
tæ fuerunt, quarum tamen numerus est maximus. Pro-
fecto

fecto celeberrimas peragraveris Germaniae urbes, nec facile obstetricum ullam offendes, quæ vel medio-criter tantum obstricandi doctrina infructa erit. Cer-te vix finem attingerem, si omnia, quæ de imperitis obstetricibus dici possent, exponere & per plura exempla eundo ostendere vellem.

§. LL.

Cum vero non sufficiat errores in nostro casu ab obstetricie commissos reprehendere, sed etiam docere conveniat, quomodo in hoc paru totum negotium suscipiendum fuisset atque exse-quendum: non alienum erit, brevissimis de ea re exponere. Quam primum itaque parturientem, doloribus excruciatam, animadvertisse, inquirendum ipsi fuisset, cuius generis illi essent, an colici, an vero illi, quos veris partus doloribus leviores & prænuncios duntaxat appropinquantis partus esse supra §. XXXIX. & XI. uberiori dixi; si prioris indolis suffissent, reme-dia, his cruciatus tollendis appropriata, a Medico mox præscribi & usurpari debuissent. Si vero posterioris, tranquilla ex-spectatio commendanda fuisset. Tum enim nondum erat tem-pus adhortandi ad laboriosos nixus, quia hoc pacto, ut ipse exiit calamitosus ostendit, puerperium ante justum terminum acceleratur; sed potius fuisset abstinentium ab omni corporis motu quantumvis lenissimo: præterea statim sufficiens venæ fæctio adorneri debuisset, interponendo alternis horis dosim pulveris cujusdam, vehementiores motus temperantis, e. g. ex Nitro regener. margaritis orient. ppis, acido citri saturat., pauxillo Tarrar. vitriol. & cinnabari nativa parati. cui ad majo-rem motuum moderationem unum alterumve granum securi anodyni v. g. MP. de cynoglossa aut Wildegansi, vel etiam Opii Thebaici optime correcti interdum addi potuisset, interpo-latis emulsionibus temperantibus & analepticis, aut julapiis & potionibus ex ejusdem generis medicamentis temperantibus & blande sedantibus concinnatis, vel gelatinis, temperandi & roborandi virtute præditis, rejectis omnibus commoventibus

F 3

& ca.

46 *Dissert. in auct. medico-chirurgico-obstetricia*

& calefacientibus, nempe spirituosis, aromaticis, suaveolentibus, idque genus aliis, quæ oleo quadam æthereo sanguinis circuitum citatiorem reddunt, & incipientes tales dolores noxie augent. Quod si vero dolores his adhibitis remediis cedere recusassent, quod tactus ope, uti supra dictum est, omnium certissime ex orificio matris conditione facile cognoscitur, dum illud in horas pedetentim magis ac magis dilatatur & aperitur, siveque indicia satis clara praestato fuissent, partum retardari amplius non posse: tum obstetrici blando attactu prius explorandum fuisset, quam membranæ, quibus fetus involutus est, rumpantur, quænam fetus pars se primo offerret, atque uteri ostio *æmetas* subiecta foret, an caput, clunes, humerus, an vero quæcumque alia pars? Hoc vero non nisi, doloribus remittentibus, digitis percipi & cognosci potest: quia tunc membranæ, fetus incidentes, non amplius sunt tensæ, sed potius laxatae & flaccidae. Quum vero nostra obstetrix nesciverit, quomodo genitalium conrectatione, tam dolores, quam positus infantis indaganda fuerint & dignoscenda: suarum omnino fuisset partum, solerent & peritum obstetricandi virum convocare, qui omnia de fetus situ in utero cognitu omnino necessaria, tangendo atque explorando calluisset. Ille enim cognito, cubitum fetus matris ostio jam proximum seu infixum esse, atque indidem prorumpere anniti, involucra, quibus fetus inhæret, illico & sine mora perrupisset aut alio modo perforasset, (quod maxime necessitatis est in huiusmodi difficultili partu), ad infantis situm curatissime investigandum & perspiciendo, utrum fetus caput in linea recta & perpendiculari siveque naturali via prægredientem cubitum subsequatur, nec ne? si capit is situm ita ad perpendicularum esse deprehendisset, prudenter allaboraturus fuisset, exstantem cubitum, blando modo digitis comprehensum, magna circumspectione retrudere, totumque brachium, hac ratione inihius in matrem reductum, fetus lateri secundum huius longitudinem rursus adiungere, quo peracto, totum partus negotium

gotium solius naturæ matris ~~exiguae~~ fuisse relinquendum. Si vero caput non, nec in linea recta cubito incubuisse, & cubitus exseruit nullo pacto reflecti se, inque sedem suam naturalem reponi recusasset, nihil reliqui auxiliatori fuisse, quam ut sine mora, & ante, quam omnis aqua, cui fetus quasi innatar, plane effluxerit, sicut per versuram vel convescionem extraxisset.

§. LII.

Verum enim vero quia hoc ab obstetricie neglectum fuit, statim jam perruptis membraneis involucris, quam curatissime (quod semper fieri debet): tactus auxilio uteri ostium perscurari debuisset, & partes fetus, ipsi inharentes, perquirere: tunc si fetus cubitum ibi infixum offendisset, inquirere necesse fuisse, an forte caput, ante alia fetus pars cubito incumbet. Si caput infantis eminenti cubito innixum, & quidem in linea recta, deprehendisset, hic reclinandus inque uteri cavum compellendus fuisse, ita ut torum brachium fetus lateri secundum longitudinem appositum hæreret, quemadmodum præcedente spho id faciendum fuisse, dixi; hoc æque fieri debuisset aqua nondum omni ex utero effusa. Sin autem caput quidem, sed non perpendiculariter, vel aliam fetus partem cubitum sequi compertum fuisset, nec cubitum, uteri orificium prominenter, eo remittere nihil valuerit, brachium quam longum est, ex matrice atque ex vagina protrahendum fuisset, quo plus spatii in ipsi uteri cavo compararetur, ad manum facilius immittendam & sicutum in eo facultus invertendum.

§. LIII.

Ne autem ea, quæ haec tenus dictis aliquid locis afferre valent, tacitus præteream, non inutile erit, quam brevissime explanationem dare, quid in obstetricandi arte huius cultoribus denotari solet, si fetus per versuram, vel, si mavis, per conversionem ex utero extrahendum esse, perhibent. Intellectam hac ratione volunt eam operationem, qua obstetricandi peritus manu sua illinita, per vaginam & uteri os ipsi matris cavo prudenter immissa, fetus in eo delitescentis pedes querendo investigat, quibus repertis & manu apprehensis fetus circumflestit, ita, ut dum

dum pedes ad & extra uteri orificium ducuntur, corporis truncus & caput ab illo loco, ubi defixa haerent, recedant & pedes consequantur, quo scutui alia positio, a pristino situ diversa, conciliatur, siveque pedibus extrahi potest. Versura haec fetus in omnibus istis casibus suscipienda est, ubi tam perverse infans in utero est collocatus, ut inde nullus ipsi pateat in lucem exitus, siveque placenta uteri orificio adnata est, & adeo exstrem obstruit. Haec autem foetus conversio minime ita facilis atque expedita est, ut quispiam sibi forsitan persuaderet, sed desiderat expeditas inque arte obstetricandi exercitatas manus, quae ad cauetas, in quavis versura tam generatim quam speciatim, artis obstetriciae attendandas, in uteri abditis agere callent, de quibus tamen hoc loco prolixius dicere nihil atinet, nec mei instituti ratio permittit.

§. LIV.

Si obstetrix nostra ad illam normam, quam modo tradidi, partus negotium obiisset, non sane dubitandum, quin feliciter negotium successisset, nec opus fortassis fuisset, instrumenta in auxilium trahere. Haec sunt potiora, quae de obstetricium imperitia hac dissertatione dicenda fuerunt: nemo autem sibi persuasum habeat, ea quae hac diatribe scripsi, ad omnes pertinere obstetrices, nullo habito earum discrimine: ipsum enim argumentum, quod hic sumsi elaborandum, omnium oculis testatum facit, me solum modo ignoras, imperitas atque inhabiles voluisse intellectas, quarum maxima est multitudo. Nec ab harum numero istos viros se iungo, qui nullis obstetricandi praecipitis imbuti, nisi hamulis operari sciunt, non tamen verentur in laboriosissimis partus negotiis parientibus obstericari. Quare illis obstetricibus, quae sufficiunt artis obstetriciae cognitione fruuntur, manet sua promerita laus, quam ipsis conservatam quovis modo cupio. Deo autem sint laudes pro concessis ad hunc loborem viribus: clementer ille concedat, ut, quidquid scriptum est, in proximi valeat commodum & parturientium solamen.

F I N I S.

Halle, Diss., 1745 (1)

VD 18

ULB Halle
002 729 369

3



Sb

DISSERTATIO IN AVGVRALIS ME
O

OBSTET IMPERITIA

CASV QVODAM M
DEMONS

NUMINE DIVINO
PRÆ

VIRO ILLVSTRI EXCELLENT

DN. JOANNE

MEDICINAE DOCTORE E
PVBL. ORDIN. PRACTICO
PAEDAGOGII

PATRONO AC PRÆCEPTORE
PRO LICENTIA & C

AC OMNIBVS PRIVILEGIIS ET
LEGITIME C

AD D. DECEMBR.

H. L.

PUBLICO ET PLACIDO I
SVBM

PHILIPPVS ADOL

RODGENA - SIGEL

HALAE MAGD.

Typis IOANNIS CHRISTIANI

